

## **Disputatio medica de scabie ... / subjiciet Georg-Henrich Verdries.**

### **Contributors**

Verdries, Georg Heinrich.  
Heiland, Michael, active 1646-1676.

### **Publication/Creation**

[Giessen] : Typis viduae Friderici Kargeri ..., Anno 1677.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/hmcndef5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

ΣΥΝ ΘΕΩ.  
DISPUTATIO  
MEDICA

De

SCABIE,

Quam

AUSPICE DEO TER-OPT-MAXUMO,

Sub

MODERAMINE

DNI. MICHAELIS  
HEILANDI,


Philosophiæ & Medicinæ Doctoris celeberrimi,  
& P. P. meritissimi,

*Dn. Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui perpetuò  
venerationis cultu observandi, colendi,*

Publicæ placidæque Philiatorum censuræ subiciet

GEORG-HENRICH BERDORZES/  
Giefsá-Hassus.

*Ad diem Novembr. horis locog̃ consuetis.*



Typis VIDUÆ Friderici Kargeri, Academ. Typogr. Ordin.  
ANNO M. DC. LXXVII.

ZYN @EQ

DISPUTATIO  
MEDICA

GA BIE

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...

DE REBUS...



## PROOEMIUM.



*N*ullam non humani corporis partem variis ac innumeris morborum generibus vexari, & ineffabilibus cruciatuum miseriarumq; agminibus infestari nostro magno fastidio indies experimur. Multa morborum pueriles & dolorum phalanges in nostram, dum hic agimus, conjurant perniciem. Ast natura de salute humani corporis sollicita, quo variorum morborum insultus avertere & profligare queat, omnem iterum impendit operam; Hinc vitiosos humores, qui in corpore humano colliguntur & cumulantur à centro ad circumferentiam, à membris principibus & nobilioribus, nec non vasis majoribus ad ambitum corporis propellit; unde varia tumorum, tuberculorum, pustularum ut & ulcerum genera, sicut etiam varia macule & coloris mutationes exoriuntur, quod illi, qui Scabie, Impetigine, Lichenibus, Mentagra, aliisque affectibus cutaneis afflictis, experiuntur. Ex quorum numero hanc vice de Scabie tantum, utpote affectu, qui ob deformitatem & turpitudinem magis molestus, quam ob aliud, quod imminet, discrimen periculosus est, qui ve atate juvenili sæpè ab aliis præservat morbis, aliosque quandoq; sanat, placidè & cum fructu disserere & conferre non intempestivum duximus. Antequam à hanc de SCABIE materiã aggrediamur, D. O. M. imprimis auxilium, Lectoris verò eruditi faventem animum, æquissimiq; (ut par est) iudicii candorem submissè ac decenter imploramus.

# THESIS I.

**S**cabies, cum scabiosorum manus pruriente sua scabritie invitet, quo scabram cutim subinde scabant, hinc in erudendo Scabiei Etymo non multum erit desudandum: Sic & in vernacula die *Scrāse* / à fricando vel scabendo, vom *Kragen* suam accepisse nomenclaturam, est in aprico, & idem ipsum quoque sentire Platerum ex praxi *tr. 2. c. 17.* apparet.

## TH. II.

Græcis *Ψώρα* scabies dicitur, communiter sic sentientibus Interpretibus. Hinc *Ψωρίασις*, Scabies scroti: *Ψωροφθαλμία*, lip-pitudo scabra: *Ψωρον*, medicamentum scabritiei adversum. Intendere eo videtur *C. Plin. H. N. l. 20. c. 17.* Psoram tamen Græcorum non planè ex æquo esse eandem cum Scabie censet J. Goræus definit. medicar. hoc titulo, qui videatur.

## TH. III.

Scabiei nomen latius aliquando sese extendere, & quotiescunque interiorum partium tunicæ abrasionem quandam particularum furfuracearum patiuntur, scabie affectas illas dici ex *Hipp. Aph. 77. sect. 4.* patet. Unde non vesicæ tantum urinaria, teste eodem, sed & venæ huic malo sunt obnoxia, ex mente Galen *in Comment. ad hunc Aph.* Est tamen hæc ipsa Scabiei acceptio minus propria. *Sicuti enim*, prout idem habet Galen, l. cit. *superficies cutis in scabie tenuè quiddam remittit (quale est quod serpentum senectus appellamus.) Sic ubi in partibus ea qua est veluti cutis tale quid patitur, & casus erit passioni similis.* Propriè verò & strictius Scabies solius cutis extimæ affectus erit. In quo significatu illam Nostræ subijciemus considerationi.

## TH. IV.

Definimus Scabiem, quod sit asperitas summæ cutis cum intemperie tuberculis & pruritu, nec non decidentia corporum furfuraceorum post scalpruram à calidis & acris humoribus orta.

## TH. V.

Asperitatem dum dicimus esse scabiem, intellectionem volumus non eam, quæ actiones secundum naturam vitare apta est  
nata,

nata, quæque eo nomine morborum classibus accensetur, cujus exemplum in interiore laryngis tunica exasperata observare licet; Sed quam inter symptomata referre solent Institutionistæ. Neque etiam ad Intemperiei Morbos referenda. Ut enim Intemperiem etiam sæpius patiatur cutis Scabiosa, & ex in quoque Nutritio illius lædatur; attamen cum eadem ipsa Intemperiei & hanc subsequens vitiata Nutritio in principio vix sit sensibilis, nec hæc ab illa immediatè procedat, quæ duo requisita ad morbi essentiam pertinere alibi ex professo traditur, inter Morbos Eam annumerare jure dubitavimus. Ast fortassis erat dicenda Intemperies ulcerosa? Sed neque sic quidem. Præter enim ea, quæ modo adduximus, admodum adhuc est incertum, num Intemperies illa ulcerosa, peculiarem aliquam constituat Morborum Intemperiei differentiam essentialem. Quod si namque juxta placita hæctenus recepta per ulcus intelligas morbum solutæ unitatis partium mollium, ab erosione ortam, non essentialis sed accidentalis exurget differentia à Numero desumpta, eritque talis Intemperies morbus multiplex vel complicatus. Sin autem, per ulcus cum Hipp. intellectum velis Morbum in generali conceptu, nondum liquet, num à Genere desumpta denominatio, atque Speciei subalternæ juncta, constituere valeat speciem specialissimam, id quod Philosophis judicandum relinquimus.

#### TH. VI.

Partem affectam cutim esse ex modo allata definitione constat, de cujus temperamento, cæteraque naturali constitutione, quæ adducenda erant, cum passim apud Autores occurrant, nolimus operam infumere, cupidum Lectorem ad superiorum seculorum æquæ ac nostri ævi Anatomicos eorumque scripta, quæ quasi innumera in plurium versantur manibus, remittentes. Haut tamen incongruum videbitur, vel leviter saltem illa attingere, quæ poris formæ ratione affingunt Recentiorum nonnulli.

#### TH. VII.

Præter conspicua illa, omniumque sensibus obvia foramina, quibus cutis ad ingressum egressumve necessariorum pertusa est, inconspicuis quoque & insensibilibus iisque penè innumeris

illam gaudere; Imò non cutim saltem, sed reliquum etiam corpus univèrsum meatibus obscurioribus esse præditum, unanimis hæctenus fuit Anatomicorum consensus, secuti Hippocratem, *confluxionem, conspirationem, consensum, corporisque raritatem, de quibus lib. de alimento, in his fundantem, nec non Galenum qui passim maximè tamen l. 1. de sanit. tuenda c. 12. conceptis verbis eosdem asserit.*

#### TH. VIII.

Hiscæ Veterum vestigiis insistere non saltem voluerunt, sed & quo de suo aliquid adjecisse viderentur, hos ipsos meatus præterea certis quibusdam iisque diversis figuris exasciare non dubitarunt Recentiores. Scilicet cùm varia sint corpora, variis figuris pro suarum qualitatum varietate prædita, quæ per poros dictos ceu per cribrum aliquod transire debebant, pro varia rerum transeuntium figura similes fingere poros placuit, quo liberior his pateat transitus; neq; enim hunc fore possibilem, si v. g. spherica corpora per triangulares poros viam affectent, sed sphericos poros spherica corpora, triangulares triangularia, cubicos admittere cubica. Quibus placitis ita admissis multorum phænomenon faciliorem esse explicationem, causam hinc patere, cur vasa bilem deferentia, nec serum nec sanguinem suscipiant, sic rationem reddi posse, cur vapores alii cor, alii cerebrum, utrum alii petant. Sic in ramorum figuram expansas aëris particulas vesicæ urinariæ poros haut penetrare, quos tamen penetrat aqua particulis gaudens vesicæ poris figuratenus convenientioribus; plura adducere jam super sedemus.

#### TH. IX.

Plausibilis sanè prima fronte videtur hæc Philosophia, unde & multorum meruit illa assensum, adeò, ut vix eruditorum nomine digni jam censeantur illi, qui talibus dogmatibus in Mathesi ceu disciplinarum certissima fundatis non assurgunt, imò sunt, & quod mireris, ex nostro ordine haut Proletarii, sed Veteranei quoque majorisque famæ, quibus vetus Medicina una cùm hanc docentibus Medicis tantum non sordet, quanquam, dum ad faciendam eam devenitur, eandem cum his calcant viam, nisi quod fortassis ad captandam apud simpliciores animos & imperitum

ritum vulgus non vulgaris eruditionis opinionem nomenclaturarum hactenus receptas negligant, minus suctis in eorum locum substitutis.

TH. X.

Cæterum cum eo promptior sit in errorem lapsus, quo quis pronior est in amplectendis dogmatibus quibuscunque, non habita prius debita in eorum veritatem inquisitione; hinc veniam merebimur, si assensum nostrum suspenderit, usque dum circa figuratos hosce poros oborta, jamque in medium producenda dubia fuerint soluta.

TH. XI.

Initio autem cum negotium hoc versetur circa rem quæ non in unum incurrit sensum, haud injuria hic ante omnia testimonium quis expeteret à sensibus. Absurdus enim omninò videtur, & juxta Aristot. 1.3. Physic. 3. *Imbecillitate mentis laborans, qui ob ratiunculas quasdam etiam è longinquo aliquando petitas sensibilibus objectis aliquid attribuere conatur, de quo tamen sensibus nihil constat.* Neque fidem meretur Cartesius sensibus fidem dubiam reddens, imò planè iis denegans, eò quod interdum errere illi, esse verò prudentia, nunquam nimis fidere iis qui nos vel semel deceperunt. Principium namque petere Hunc cum suis assensibus urgebit recepta hactenus Philosophia, quippe sensus, ab omni errore eximēs, modo circa propria versentur illi objecta, omniaque sentiendi requisita debite se habeant, quæ ab aliis ex professo exponuntur. Quod si porrò de sensuum certitudine ex eo dubitandum, quia quotidie in somnis innumera videmur sentire, quæ nusquam sunt, nullaque sic dubitanti signa apparent, quibus somnum à vigilia certo dignoscat, quæ secunda est ratio Cartesii, actum erit de primo suo atque certissimo cognoscendi principio, quod est, Ego cogito, ergo sum; Neque enim certus esse potuit Renatus Ipse, num dormiens cogitaverit an vigilans, quo de principio tamen judicent alii. Nos de sensuum certitudine eò certiores sumus, cum & Ipse Cartesius sensus quoque comprehensos velit sub latitudine cogitationis, in qua tamen totius suæ Philosophiæ fulcit principium primum:



8  
TH. XII.

Arduum autem opus aggredieretur, modo non planè inani labore se torqueret, qui conaretur ambigentium sensibus exponere poros certâ ratione figuratos. Sanè aded coarctata esse mimitici illos, ut vix ac ne vix quidem Eorum figuræ tangentis manum afficere queant, noto est notius. Sed & eadem figuræ contemplantium oculis se subtrahent, nisi fortassis oculum quis armaverit Smicroscopio, quanquam & tunc non nisi extremitas saltem foret conspicua, ex qua tamen superficiaria fallax formaretur judicium de illa figura, quæ profundior est, & in abscondito adhuc latitans oculos suffugit. Sed nolumus ulterius urgere hoc argumentigenus, siue sensibus expositæ sint hæ pororum habitudines siue secus, præsertim cum à sensibus petitæ argumentationes negativæ tantum roboris non habere videantur in rebus, quæ ob desideratum requisitorum necessariorum sufficientem numerum sensibus sese subducere valent.

TH. XIII

Rationes ergò potius trutinandæ erunt, quibus hinc inde libratis ultrò patebit, num jure de nova hac doctrina dubitandum sit nec ne? sed & manifestum hinc evadet, an hisce placitis concessis facilius sit futura enodatio eorum, quæ in corpore nostro vel secundum vel præter naturam evenire indies comperimur. Mox autem primo occurrit illud à cribro desumptum siue Exemplum siue Simile, quod incongruè huc afferri vel imperitum vulgus pleno fatebitur ore. Quotus quisque enim est, qui nesciat cujuscunque generis cribra quanquam singula ejusdem figuræ foraminibus sint pertusa, apta esse variis figuratis corporibus trajiciendis. Scilicet corpora spherica, cubica, triangularia non nisi per similia transire foramina, adeoque corpora transeuntia cum meatibus per quos transeundum iis est, & vice versa meatus cum corporibus ejusdem semper esse figuræ, ingens admodum est postulatum, quod Mathematicorum concedet nullus. Ita conus non orbicularè saltem sed triangulare quoque foramen cum plenaria sui expletione transire est potis. Sic circularis meatus præter globum etiam Cylindrum, nec non corpus lenticulare eodem modo transmittet, idem illud lenticulare corpus transibit præter

præter modo dictum, porrò & foramen, ex duobus circuli segmentis minoribus conflatum. Plura hac de materia qui desiderat, adeat Dan. Schvventerum, qui deliciarum Mathematicarum *part. 3. propos. 21. 22. 23. & 24* pluribus adductis exemplis demonstrat, unum corpus per plura posse cogi foramina, adeò, ut *propos. 24.* monstrat corpus certa ratione figuratum, quod quinque diversa foramina exactè explere eaque transire possit. Imò meminit alterius cujusdam septem foraminibus explendis & transeundis aptum, quod tamen Philo-Mathematici Lectoris ulteriori meditationi committit.

#### TH. XIV.

Sed relinquamus Mathematicis mathematicas suas speculationes, & ad magis medica nos accingamus. In officinis pharmaceuticis æquè ac in Chymicorum laboratoriis nihil familiarius, quam ut per unum idemque colum, per unum idemque filtrum transeant liquores nunc acidis, nunc acribus, nunc falsis, nunc amaris, aliisque particulis imprægnati. Cùm autem juxta Illorum doctrinam, qui effingendis figuris impense delectantur, particula illæ, pro varia qualitate variè figuratæ sint, utpote cum qualitatibus illarum activitates à figuris dependeant, aliud certè exposceret filtrum, aliud colum liquor falsus, aliud acidus, aliud dulcis, si circulares meatus non nisi sphericas particulas, quadrati cubicas & sic porrò admitterent exclusis aliis. Neque enim verò est consonum, nec ullo vel probabili saltem argumento evinci poterit Chartarium chartæ emporeticæ aut Textorem panno data opera & ex arte affinxisse, vel verò præter opificum intentionem, & quasi ex accidente illos obtinuisse meatus totidem figuris inter se discrepantes, quot exposcunt liquores variis qualitatibus præditi pro libero sui transitu, Quod si quis pertinaciter sustineret, esse omninò & filtra & cola omnis generis figurarum meatibus pertusa, necessum utique erit, ut idem asserat, parem esse rotundorum, quadrangularem, triangularium &c. foraminulorum numerum; videmus namque æquè prono cursu transire acida atque falsa, hæc æquè ac acria, amara, & sic porro, modò non obstet diversæ substantiæ ratio, aut immixtæ liquori feces meatus ex parte obturent, quod

B

ipsum

aplum tamen assertum æquè difficilem merebitur assensum; imò  
facilius & contractiore temporis spatio filtra transmearent li-  
quores, variorum & diversis qualitatibus præditorum simplici-  
um virtutibus, aut secundùm istos particulis imprægnati, quibus-  
vis nimirum particulis per suæ figuræ convenientia foramina  
permeantibus, ac illi qui una saltem & simplici gauderent vir-  
tute, cui tamen reclamare experientiam deprehendet, qui hujus  
rei fecerit periculum.

#### TH. XV.

Sed & præterea ipsa corporis demeacula minus rite suo  
possent defungi in Oeconomia Animali munere, nisi variarum  
figurarum particulis transitum concedere essent aptæ. Neque  
enim sunt canaliculi solis particulis, quæ secundùm naturam sunt  
præsto, & viam meditantur, dicati, verùm etiam per eosdem  
transmittendæ veniunt aliæ, quæ præter naturam obortæ, cor-  
pus in morbosum conjiciunt statum, idemque variis inquietant  
insultibus. Etenim una cum sudoribus & urinis Febrium alio-  
rumque morborum causas etiam critiche & cum ægritolerantia  
evacuari quotidiana docet experientia. Cùm autem causæ istæ  
morbificæ pro morborum varietate variis qualitatibus & quæ  
Illorum Philosophia est, variis figuris præditæ sint, quo pacto  
transibunt particulæ istæ diversæ renum illos canaliculos poros-  
vè cutis, si hi respuerent alia corpuscula, quam quæ suis figuris  
assimilarentur, nisi quis assereret dictos canaliculos porosve ali-  
ter pro acidis, aliter pro salsis, aliter pro acris & sic amplius  
esse pertusos, aut verò eosdem illos canaliculos pro transcunti-  
um particularum habitudine alias suscipere figuras, quas ipsis in  
statu præternaturali imprimerent, id quod tamen quam difficili-  
mum sit demonstratu quis non videt? Quin & cum urina in sta-  
tu quoque naturali ex pluribus diversæ substantiæ particulis con-  
stet, transibunt illa utique promiscuè citra respectum ad figura-  
rum convenientiam, aut verò renibus canaliculi etiam secundùm  
naturam alii pro salsis, alii pro tartareis, alii pro sulphureis, alii  
aqueis corpusculis erunt assignandi. Quod assertum tamen  
cùm præter hoc placitum omni omninò destituatur ratione, nec  
ullo alio suffulciatur argumento, nemo nisi ex præconcepta opi-  
nionem præoccupatus facile admitset,

TH. XVI.

Quam difficilis porrò futurus erit ingressus corpusculorum in canaliculos ad similem figuram excavatos, præsertim si illa fuerit insigniter angulosa, quis tam accuratè aptabit ea invicem, ut eminentiæ ac incisuræ justè & absque offendiculo se mutuo excipiant & excipiantur? Quis particulas illas in canaliculorum, ut ita dicam, propyleo constitutas ita diriget, ut ingressum molientes, neque per transversum appellant, neque ad latera saltem declinent, atque sic impediatur, ne vel planè à semita aberrent, vel in vestibulo hærentes ulteriorem gradum sistant particulae istæ.

TH. XVII.

Ad hæc nonnullis particulis tales affinguntur figuræ, quibus excipiendis idoneos determinare poros, & tales qui figuræ illarum particularum ad omnia & exactè æquent, difficile admodum, modo non impossibile. Enim verò, quænam sodes in Epate demaculis erit assignanda figura conformis excipiendæ bili? utpote cujus particulae amaræ figuris gaudent furcatis; quæ in canaliculo figura fructui dispaci quadrans vel mente poterit concipi? & quo quæso peculiari modo excavabitur ductus, ut solis hamatis particulis transitum concedat exclusis aliis.

TH. XVIII.

Est præterea non Mathematicis tantùm & Mechanicis notum, sed & in vulgus innotuit, ejusdem figuræ corpora, si sibi mutuo jungantur, non ita temerè producere coagmentatum aliquod similiter ita figuratum. Sic globosa corpora, si vel in infinitum junxeris nunquam globum rursus efficies. Ita tetraedrica plura in unum coeuntia in tetraëdron neutiquam coibunt. Par esto judicium de hamulis & contulis, de aciculis aliisve corporibus, quæ inter se combinata, nullo modo servabunt eam figuram qua gaudebant singula. Ast verò, cum propter indicibilem sui exilitatem solitariè & sensim particulae illæ nec incedant, nec transitum meditentur, sed invicem junctæ; quo igitur fundamento canaliculis affingetur excavatio figuræ singularum particularum exactè respondens. Major adhuc & inextricabilis exsurgit difficultas in assignanda meatibus figura conformi, si particulae heterogeneæ atque adeò diversarum figurarum in uno corpore fluido

concurrant; In exemplum adducimus lac & sudores, quæ cum papillarum foraminula atque poros cutis sub eo schemate, quo ceu corpora mixta atque ex pluribus composita habentur, trans-eant, ad oculum quasi ostendunt unius figuræ meatus atque canaliculos transire posse diversarum figurarum particulas, atque sic præter ullam rationem, & nulla necessitate suadente poris certas affingi figuras, quod erat demonstrandum. Sed de his fatis.

#### TH. XIX.

Ad causas Scabiei enodandas accedendum nunc est. Nolumus autem hic diutius immorari in recensendo vel refellendo dogmate Helmontiano, quo Scabiem ceu solius pellis affectum non nisi à contagio oriri pluribus deducere conatur in Tractatu proprio Flagellum illud Medicorum. Quotusquisque enim est, cui lateat & Scabiem aliquando propullulare citra omnem contagionis suspicionem? Undenam primus contraxit Scabiem? quotiescunque accidit, ut cum maximo ægri damno, imò aliquando summæ vitæ periculo, non consulto perito Medico atque præter rationem applicentur ex sulphure Mercurio, & aliis parata topica? Ut ita non habeat cur gloriatur ille, *se manifestè scivisse Scholarum Theoremata*, in doctrina puta de Scabie, esse *scabiosa & falsa*; Sed jure hoc ipsum telum retorquere possint Scholæ in primum Autorem. Sanè ficulneo admodum argumento niti illum, à proprio suo exemplo defumto, vel in trivialibus versati monebunt, ex Logicis edocti, non valere consequentiam à Particulari ad Universale. Ast tales ignominia pœnas de sui contemptoribus sumere illam in eruenda veritate utilissimam Logicam erat æquissimum.

#### TH. XX.

Missio ergò Isto per ignem Philosopho, in determinandis causis Scholas consulamus, juxta quas ratione & experientia nixas. Causa proxima & immediata est Nutritio cutis depravata. Continens verò communiter habetur humor acris, mordax, sal-sus, nitrosus, vel aliunde ad cutim translatus vel in ea genitus. Aut si major Scabiem materialiter producant varii generis humores acrimoniam, falsedinem aut erodendi facultatem mediocrem  
nati.

na&ti. Varii generis humores dicimus, neq; n. unus aliquis certus humor hic incusandus. Hinc non adeò incongruè, sed sic satis accuratè Avicenn. lib. 4. Fen. 7. Tract. 3. cap. 6. *Materia, inquit, ex qua generatur Scabies, aut est materia sanguinea, cui admiscetur cholera, qua forsitan conversa est in melancholiam. Aut materia (sanguinea) cui admiscetur phlegma salsum Baurachium. Remotiores causas idem Avicenn. loc. cit. his innuit verbis: Plurimum generatur ab acceptione in comestione salforum, & acutorum, & amarorum, & specierum, qua pro condimento admiscentur, & fixio generationis ejus in cute postquam natura expellit eam, est oppilatio pororum, & parvitas mundificationis. Aut retinetur propter debilitatem expulsivam, sicut accidit decrepitis in fine aegritudinum, & propriè quando materia est plurima aut grossa. Aut propter oibos malos, ex quibus generatur chymus malus, acutus, sicut sunt cibi salsi, & acuti, & similes eis. Aut propter malitiam digestionis.*

TH. XXI.

Causas ergò rematas ex modò adductis Arabis verbis haut erit difficile proponere. Nimirum proximior est concoctio vitiata, sive fiat læsa facultate, sive propter errorem externum accidat illa. Singulæ autem coctiones si non ritè celebrentur, in scabiei generatione symbolam dare suam aptæ sunt habendæ. Prima quidem labem potissimum contrahit ob errorem externum, assumtis in alimentum cibus muria conditis, fumo induratis, extremè salitis, aut alias nimis aromatizatis, lac maternum simili vitio infectum. Huc referenda aqua nitrosa aut salsa, vel etiam quæcunque alia hætenus Naturæ insueta, sive potui materiam suppeditet, sive in illa elixentur edulia. Sed & in quantitate error committitur, dum ob nimiam voracitatem plura generantur excrementa, quibus salæ illæ & reliquæ antenominatæ qualitates induci possunt, maximè si coctionum organa in id conspirent, à quo crimine nò planè alienus est ventriculus, si à naturali sua constitutione recesserit. Magis tamen incusanda secunda coctio ejusque viscera, si fuerint illa justo calidiora forsitan & sicciora, unde eorum vis sanguifica læditur, sed & eadem impeditur, si vasa ministrantia angustiam patiantur, ob quam nec laudabilis chylus in justa consistentia ad sanguinis officinam ferri, nec genitus

à sordibus ad sufficientiam depurari potest. Et cum primæ coctionis vitia non corrigantur in reliquis, hinc ob chylum vitiosum adeoque errorem externum talem quoque generari sanguinem est in aprico. Quemadmodum & propter eadem primæ ut & secundæ coctionis errata, tertiam pariter in parte affecta lædatur quis ambiget? Sed & præterea cutis privata coctio læditur læsa facultate ob temperamenti labem, quam ex continuato vitioso alimenti à Natura fortiore eò detrusi affluxu, sæpissimè etiam ex contagio contraxit. Impeditur etiam eadem Facultas, quotiescunque pororum angustia undecunque contracta obstat, ne excrementa inde ex corpore planè eliminentur, ad quam causarum classem referenda vita sedentaria, sive ex toto, sive ex parte, immundities ab intermissa per lotionem sordium adhærentium absterfione aut neglecta vestium mutatione.

#### TH. XXII.

Præter verò hæc coctionis vitia Scabies quoque ortum debet humoribus pravis, & ante nominatis qualitatibus falsis aliisve noxiis præditis, qui in morbis nunc acutis nunc chronicis in acutorum naturam tamen degenerantibus, motu critico, per crisis minus perfectam transferuntur ad cutim, utpote partem minus principalem, & excipiendis quæ molestiam creabant interioribus, dicatam, atque proin debilem habitam. Quin & affluxui materiæ peccantis ad extimas partes præbet frictio, & hinc obortus dolor, cui tractionem quandam communiter tribuere voluerunt Institutionistæ.

#### TH. XXIII.

Hactenus recensitas causas, si quis ad certas classes Rerum Naturalium, non-naturalium & præternaturalium, aut etiam causarum antecedentium procatarcticarum &c. reductas vellet, illi haut difficilis esset labor, modò in primis artis Elementis quædam tenus fuerit versatus. Quapropter his missis ad affectus differentias nos accingimus, quarum apud Authores plures passim occurrunt. Decantatissima inter illas est, qua alia dicitur Humida, alia Sicca; Illi quam serosam & pituitosam dicunt, pustulæ conjunctæ sunt majores albicantes, ad suppurationem tendentes, saniemque humidam multam fundentes. Huius, quæ pruriginosa

ginoſa audit, puſtulæ ſunt minores nihil, vel parum idq; craſſum ſiccumve eruſtantes. Eſt præterea Scabies Univerſalis, vel Particularis; Recens vel Inveterata; Benigna vel maligna; Critica vel Symptomatica; Congenita vel adventitia, quarum quælibet quid ſit Tyronibus ex Inſtitutionibus non poteſt non eſſe cognitum. Adducunt alii aliam ab humorum ſpeciebus deſumptam, quæ tamen à prima illa adducta non multum recedit.

#### TH. XXIV.

Potioribus Scabiæ differentiis in medium allatis, ordo nunc poſtulat, ut ſigna exponamus; At verò in Diagnosticis tradendis, non eſt ut multum deſudemus, ipſe namque affectus ex ſe & ſua eſſentia ſatis in ſenſus incurrit; ſed & nec operoſum ex antedictis erit differentias noſſe; Cauſæ porrò ex cutis poſſiſſimùm colore, atque ſcabioli temperamento, nec non conjuncti pruritus diverſitate pateſcunt. A cognatis verò Affectibus quomodo diſcriminetur, verba ſuperius in definitione expreſſa oſtendunt. A ſperitate diſcernitur à pruritu, ab Elephantiaſi diſfert loco affecto, utpote quæ non ſummæ tantùm, ut noſter affectus, cuti inhæret, ſed profundius deſcèdens ipſam carnẽ occupat. A lepra, quod in hac ſquamæ ſcalpendo decidant, in Scabiæ corpora furfuracea, ab Impetigine Latinorum, Lichenibus, Mentagra, tuberculorum præſentia, quibus dicti affectus deſti-  
tuuntur.

#### TH. XXV.

Sequuntur Prognostica. Scabies malum eſt, quod deformitatem potius infert quam periculum minatur. Imò cùm hâc via natura à pravis humoribus ſe exoneret, ab aliis morbis præſervat, & ad longam ſenectutem hominem producit, modò cætera ſint paria; non tamen eſt proſus negligenda, non ſaltem ob formoſitatis depravationem, ſed & quoniam diuturnior in lepram degenerare poteſt. Difficilioris autem eſt Curationis, quæ Senes occupat, quæ inveterata, quæ ſicca, quæ foeda & maligna. Facilius verò curatur in Juvenibus, mulieribus, recens, humida, benigna.

#### TH. XXVI.

Curatio ergò dum inſtituenda eſt, in illa procedendum erit juxta Medendi Methodum, & beneficio hujus erutas Indicatio-



nes. Cùm autem suprà inter Symptomata retulerimus, sitque illa Symptoma symptomatis, Symptomata porrò ex se & primo nihil indicent, nisi urgeant, & causarum morbificarum induant naturam, hoc verò malum urgentius non sit, hinc in curanda Scabie eo opera locanda, ut causæ illius tollantur, quæ superius adductæ, cùm in duas possint reduci classes, Morbos scilicet & Causas morbificas, duplex quoque hic erit Indicatio, curatoria quæ morbos, & præservatoria, quæ causas respicit.

TH. XXVII.

Sanguis ergò, si Indicans fuerit præstò, evacuetur, idem impurus depuretur, viscerum vitia corrigantur, meatus occlusi referentur, à parte affecta sordes cujuscunque generis detergantur, & ne vel in eadem denuò generentur, vel ibidem aut etiam in toto corpore colligantur, prospiciatur. Auxiliorum materiam suppeditante triplici Fonte notissimo. Chirurgico, Pharmaceutico, Diætetico.

TH. XXVIII.

Ex Fonte Chirurgico primo se sistit venæsectio, quæ in corpore plethorico locum habet, si præsentia indicantia illam exposcant, nec sit quod prohibeat. Tundatur mox in principio vena brachii absque defectu lateris, nisi vel hepar, vel lienem in culpa esse constiterit, tunc enim rectitudo observanda, quæ si Mensum simul adsit suppressio affectum huic fovens, saphena instante eorundem fluxu aperiatur. In affuetis sedis venæ aperiuntur, applicatis hirudinibus, præsertim si venæ istæ sint tumidiores & patiens melancholicus. Quantitatem sanguinis detrahendi determinabit ejusdem sanguinis à naturali statu recessus. Conducunt præterea Cucurbitulæ cum scarificatione nec non scarificationes solæ, non tamen nisi corpore jam dum probè evacuato. Laudantur & à nonnullis hirudines partibus affectis applicitæ, & magis adhuc cauteria in cruribus gestata, in scabie præcipuè rebeli, modo nihil sit quod eadem prohibeat.

TH. XXIX.

Fons pharmaceuticus numerosa offert medicamenta ex triplici Regno, Minerali, Vegetabili, Animalis, eaque tam interna, quàm externa. Agmen inter illa ducunt cum præparantibus purgan-

purgantia. Utraque pro varietate humorum peccantium variant, eorumque larga seges apud Authores, Materiam Medicam qui tradiderunt, passim est obvia. Circa ista tamen sic monente J.C. Claudino *l.1. Emp. Rat. c.2.* notandum venit, primo nunquam Epaticam, scabiosam, acetosam, fumariam esse negligenda, deinde in naturis calidis atque in insigni fervore à Syrupis abstinendum esse. Circa purgantia notat idem Autor in vetusta Scabie, à nonnullis maximè commendari Aloes frequentiore usum, cautione tamen opus est, si corpora fuerint æstuosa, in quibus et idem à pilularum quoque usu abstinendum. Notandum & porro ob diversitatem humorum peccantium electivè purgantia non esse planè prætereunda, maximè tñ. illa præscribenda, quæ adustos humores educere apta esse nata, observarunt hætenus Practici. Hinc præter Tamarindos conducunt Epithimum, Polypodium, serum lactis præprimis caprini, Radix Ellebori nigri, Ghitta Gemou, & ex Mercur. nec non Antimonio parata medicamenta, qualia sunt Mercurius dulcis s. nec non cum Mercurio vitæ. Mercurius cum Sole præcipitatus. Arcanum Corallinum, Antimonium per inferiora purgans, & id genus alia arcanioris præparationis, de quorum possessione passim gloriari solent Illi per ignem, Philosophi an Medici; imò nec incongruum erit hæc ipsa mineralia cruda aliis simplicibus certa proportione juncta decoctioni subicere, talia sanè decocta in massa sanguinis depuranda optatum præstare effectum expertus testabitur.

### TH. XXX.

Neque verò solis catarteticis tollitur malum, sed præterea, præsertim si scabies fuerit inveterata, atque tam promptè cedere nescia, ea in usum adhibenda veniunt remedia, quæ detergendo, discutiendo, exsiccando, sanguinemque ita à quisquiliis vindicando, puriorem eum præstant. Ex quibus eminent præter fumariam Ebulus Guajacum, sarfa, china, præcipuè in emaciatis, Antimonium viperæ, & exinde parata medicamenta: Spiritus & Essentia fumariz, Ebuli, Lignorum, & decocta eorundem. Tinct. Antim. simpl. & tartarifata. Sulph. Aurat. antimon. Antim. diaphoret. ceruss. antim. Essent. Viperar. spinæ earundem, Sal nec non Trochisc. de viperis. His adde Tincturam Tartar. corallorum

rallorum simplicem, nec non cum spiritu ligni Sassafras extractam. Medicamentum & autoritate gravissimorum virorum, & experientia ipsa præstantissimum ad 40. dies potū, quod nunquam ipsum fefellit, laudat J. C. Claudinus Consil. 47. decoctum puta Pilosellæ.

## TH XXXI.

Quandoquidem autem hæc ipsa sanguineæ massæ impuritas haut rarò ortum suum debeat vitiosæ & præternaturali viscerum coctionis dispositioni, quin & vasa eorum æquè ac Mesenterii ob sui angustiam præter modum contractam non sint planè immunia, prout ex iis, quæ supra in recensione causarum adduximus, constat. Hinc ipsa sana dicitur ratio, & rationalis Medendi Methodus jubet, ad tollenda hæc quoque vitia ceu Causas Remotiores curam esse dirigendam, nisi velimus in cassum laborare. Quam ipsam tamen curationem studio brevitatis præterimus, Lectores ad Authores Practicos remittentes.

## TH. XXXII.

Ex fonte Pharmaceutico agmen claudunt Externa, quibus parti affectæ subvenitur, temperamentum nimirum servando, tonum custodiendo, materiam fluxam nondum impactam resolvendo & siccando, impactam detergendo, poris infarctam ab infarctu liberando; quibus majoris penetrationis & facillioris operationis gratia addenda incidentia. Circa quorum usum notandum primo, ea nunquam esse negligenda, si cutis fuerit infecta, cum omne nutrimentum etiam laudabile à vitiosa cute corrumpatur, deinde non esse illa usurpanda, antequam fuerint præmissa universalia, nisi fortassis in principio illius Scabiei, quæ à solo contagio ortum traxit, quemadmodum ex Arabibus monet, & inter alios canones universales & hos quæque proponit P. Forestus lib. 5. Obs. Chirurg. II. in Scholio. Unde malè Scholas inculpat loc. citat. Helmont. ac si in sola Venæ sectione & Purgatione præsidium curandæ Scabiei locaverint.

## TH. XXXIII.

Materia Externorum est varia, perinde ac Remediorum Formulæ variant. Inter quas tamen frequentiores sunt Lotiones & Balnea, tam naturalia aquæ dulcis item Thermæ Nitrosæ, sulphu-

Sulphureæ, quam Artificialia, unguenta, linimenta. Parantur talia ex Nitro, Sulphure, Alumine, Rore majali, Mercurio, calcè Viva, Rad. Lopathi major. acut. helen. bryon. Saponaria, Nicotiana, malva, Scabiosa, Staphisagria, Syrace liquida, Balsamo Indico, succo arantiorum, Limonum Tartaro. Efficaciora habentur decoctum calcis vivæ & sulphur. in quo Mercur. dulc solutus, decoctum & infusum sulph. unguentum & olatum cum Mercurio præcipit. vel arcano corallino, Unguent. diapomphol. cum oleo nicotian. floribus vel lacte sulph. Unguentum de Nicotiana, Unguentum Slotani Efficacissimum apud G. Fabrit. Hildan. cent. 5. obs. 43. aliud habet B. Montagnana cons. 292. quod nunquam fefellit. Aq. Mercurialis Rulandi, aq. viridiuscula post solutionem & præcipationem Lunæ. Unguentum album Camphoratum cum sale vel oleo Tartari per deliquium, lutum post frictionem, quod ex mente Q. Sereni laudat A. Vesalius *Chir. Mag. l. 4. c. 16.* In quorum usu præter superius jam tradita notandum, post usum Balneotum mox esse provocandum in lecto mundo sudorem exhibitis diaphoreticis, quem excipiat corporis illitio conveniente unguento. In usu autem Mercurialium insigni opus esse circumspèctione, atque parca manu ea esse adhibenda, imò vel uni saltem alterive membro talia applicanda. Unde nonnullis solenne esse solet, ut unguentis aut linimentis illis, quæ Mercurius ingreditur, saltem articulos manuum pedumque inungant, nec sine exoptato successu.

#### TH. XXXIV.

Tandem Diæta exponenda restat in rerum sex nonnaturalium moderamine consistens. Aër cum obsit in calore & frigore intensior, locum habebit moderatus. Edulia vitentur omnia, quæ ad superius memoratam causarum classem poterant reduci. Imprimis autem vitentur pinguis, oleaginosa, salsa, acris, salita, præcipuè carnes suillæ. Eligantur autem cibi boni succi & parçissimè conditi, si que potius elixi, quàm assati aut frixi; Maximè autem à proprietate substantiæ laudatur caro leporina, à P. Crasso apud J. B. Montan. cons. 372. & in contumacissima eaque maligna viperarum caro. In potu caveat Scabiosus sibi ab omni generoso & fortiore potus genere, eligat potius vel vinum tenue,

cerevisiam tenuem, aut etiam si malum contumacius, decoctum  
 secundarium lignorum, aut ligni sassafras, Santalorumve cum pas-  
 sulis decoctum, quibus decoctis ut & acidulis vinum quoque  
 dilui poterit. Nec esset incongruum sero lactis præcipue capri-  
 ni, etiam potus ordinarii loco uti. Circa somnum & vigiliis mo-  
 dus servetur, sicuti & circa motum & quietem, magis tamen est  
 nocuus motus immoderatus, maximè autem omnium partium  
 læsarum frictio, modò ab ea abstinere possint ægri. Munditiei  
 quoque studeat æger, indusia ac linteamina frequentius mutan-  
 do, detque operam, ut excernenda debito modo & tempore ex-  
 cernantur, retineantur verò Retiuenta, præprimis autem noxia  
 habetur Venus: Affectus denique animi sint itidem moderati,  
 omnesque illi extirpentur, unde massæ sanguineæ acri-  
 monia poterat conciliari,

F I N I S.

